



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi
Servatoris Crisis Historica**

Chifflet, Jean-Jacques

Antverpiae, 1624

Cap. XIII. Cæci cum fide visum recipiunt: ex oculis laborantes persanantur:
aliis ad tempus adimitur visus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

nuper è Galliâ Condæi Principis mater Princeps. Sed munificentiam præcelluere ceteris Serenissimi Archiduces Austriæ Albertus & Isabella sanctissimi coniuges, tum missis ad altaris S. Sudarij decorationem sericis ornamentis auro intextis; tum magnâ pecuniæ summâ collatâ, ad Odei sublimis & marmorei in Ecclesiâ S. Stephani exstructionem, cuius primarius lapis positus v. Idus Maij, anni præsentis M. DC. XXIII. procurante Ill^{mo} ac R^{mo} D. Francisco de Rye, Archiepiscopo Cæsariensi, Archiducum prædictorum magno Eleëmofynario, Metropolis Bisontinæ maiori Decano.

CAPVT XIII.

Cæci cum fide visum recipiunt : ex oculis laborantes persanantur : aliis ad tempus adimitur visus.

ANNO Domini M. D. XXXVI. instabat Festum Paschatis, quo numerosa populi turba, S. Sudarij visendi causâ, Vefontionem confluit; Nicolaus quidam Rozius de Milleyo pago, prope oppidum Iussæum, iam pridem oculorum cassus lumine, illuc proficisci optat : ille eò redactus erat egestatis, vt neminem qui gressum regeret, duceretque ad illud celeberrimum perfugium, nan-

K 2 cisci

cisci posset. Quid agat infelix? gnarus quâ horâ S. Sudarium aduenis spectandum explicari solet, eo ipsissimo tempore versus Vefontionem genibus aduolutus, absens corpore, præsens animo fundit preces, & lucem petit. Rem miram! aperiuntur ei oculi è vestigio, & clarè cernere incipit: recepto visu ad votum exsoluendum sine præuio scipione, vt solebat, facellum adit, & tantum miraculum voce clarâ & oculis profitetur, quod testes quamplurimi, sensibus arbitris, fide datâ, signoque apposito confirmarunt, vt ex instrumento publico constat.

Non absimile contigit anno M.D. LXXII. præfente Cardinali & Archipræsule Claudio à Baumâ: cum enim ostenderetur publicè S. Sudarium, in gratiam Antistitæ cuiusdam Augustodunensis, adfuit ibi, inter promiscuum vulgus, annosa quædam mulier, vtroque lumine orbata, quæ S. Sudarium cultu religiosissimo venerata, videnti facultatem protinus recuperauit, ipsumque S. Sudarium dilucidè perspexit.

Illud porrò crebris exemplis est comprobatum, eos qui ex oculis laborant, S. Sudarij inspectione, aut contactu subinde sanari; eorumque aciem vix hebescere, qui debitâ vallati fide, id multoties inuisant: è contrario, quibus vacillans

ac dubia fides, iis non semel hebetata visio. Adde exempla.

Burgundiæ Comitatum aggressus Tremblecurius, & ingressus anno M.D.XCV. aliquot è militibus suis Vesontionem misit, vt aduerterent quibus artibus vrbs ea posset occupari. Illi dicto audientes, ficto nomine & habitu Vesontionem subintrant, vbi dies circiter quindecim immorati, agnitis ciuium animis, & curâ vigili, castra repetunt, & oppugnationem illam Duci suo referunt difficillimam fore. ille grauius in eos stomachatus, *Quasi verò, inquit, animo sit despondendum; denuò Vesontionem pergite, & si nihil aliud, saltem Sudarium quod ibi colitur subdolè arripite, & ad me quamprimum adferte.* Redeunt impij animosiores, & Gallus nobilis eorum ductor, Ecclesiam S. Stephani sub vesperam ingressus, ad altare S. Sudarij accedit, illud conscendit, atque vt in arculam, quâ sacrum pignus reconditur, sacrilegas manus possit iniicere, modos omnes inuestigat. Sentit illicò miser vindices Dei manus, cæcutit exanimatus metu, totisque artibus contremiscit; videt se in diuinam iustitiam delapsus: bono tandem genio mentem pulsante, ad clementiam confugit; sacris aris, quas paulò antè calcauerat, postmodum adgeniculatus, admissi facinoris veniam apprecatur, Religio-

78 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI
nis ineundæ votum vouet, si vxori superstes fiat;
tum demum diuersorium repetit, & inde rectâ
patriam domum, vbi ex eo tempore vitam incul-
patam transegit. Hæc ex ore ipsius Blasius Mahon
Bisfontinus è Societate I E S V: quod deinde literis
significauit, datis Carlopoli, vltimâ Iunij an-
ni M.DC.XV. Aliud exemplum habemus in scri-
ptis authenticis, hoc sensu.

Anno M.DC.IX. Fridericus Martini Comes Pa-
latinus, & Iuris Canonici in Academiâ Friburgi
Brisgoiæ Professor primarius, missus Vesontio-
nem à Rudolpho II. Cæsare, cuidam mandato
muneri obeundo, sacrum Domini Sudarium sibi
euolui à Canonicis flagitat: respondetur eius vo-
tis, & Februarij vndecimâ, in Sacratio S. Stephani
pretiosum linteum explicatur. Mirum! ita per-
stricti sunt eius oculi, vt solum linteaminis can-
dorem affirmarit se videre, nec effigiem Christi
apprimè in eo delineatam, nec stigmata, quamuis
luculenta, vlllo modo conspiceret: oculis eius in-
tentioribus imago sacra iterùm & propiùs inspi-
cienda proponitur, nec vllatenus ea cadit sub
aspectum: obstupescunt adstantes omnes, ille verò
omnium maximè; qui tandem excæcationis suæ
causâ cognitâ, & fidei hæsitantiæ adscriptâ, ante
Christi Θεανδρώπης imaginem in genua denuò
pro-

prouolutus veniam poscit, quòd de illo Sudario haectenus addubitasset. En aliud miraculum; aperiuntur ipsi caligantes oculi, videtque distinctissimè Christi velut super terram cum Apostolis ambulantis (ita loquebatur ille) diuinam imaginem: miraculum in se patratum prædicat domi & foris, simulque S. Sudarij Bisontini veritatem; missis deinde aureis ducatis decem, pro incruenti Sacrificij in altari S. Sudarij celebratione annuâ, ad perennem accepti beneficij gratiarum actionem.

Aliud habe in dissimili occasione non absimile. Philippus II. Rex Catholicus monitus per Cardinalem Granuellanum, seruari Vefontione Sudarium Domini, postulat à Canonicis tanti depositi custodibus, vt exemplar doctâ manu excerptum ad se quamprimùm transmittant. Regiæ voluntati citra moram obsequi cupientes Mystæ sacri, pictorem peritissimum accersunt, qui sacrae iconis linteo impressæ exemplar ordiatur: quod cum primùm luminibus accensis ab eo coeptum, factus est se fulgorem è linteo micantem, oculis vix pati posse; modò breuior & angustior imago, modò longior & latior ipsi visa; sanguineæ notæ quandoque rubicundiores, aliàs pallidiores obseruatae; donec per salutare Sacrificium pacato

Numi-

Numine diuino, discussaque oculorum caligine, imaginem Christi penicillo subtili adumbravit, quæ deinde in Hispaniam ad Regem missa. Pictor ille *ab Argento* cognominatus, aliquot alias imagines ex archetypo Bisontino in linteis eiusdem longitudinis & latitudinis tunc expressit: quarum vna est penes Nobiliss. Dominum Henricum de Varick Marcgrauium Antuerpiensem; aliæ in priuatis quorundam potentiorum per Europam domibus asseruantur: quod moneo, ne errandi ansam aliquando præbeant, veraque Christi Sudaria in posterum censeantur.

CAPVT XIV.

Epidemica lues sedata voto publico : Sodalitas S. Sudarij; huius altare Apostolico priuilegio munitum.

ANNO supra sesquimillesimum quadragesimo quarto, quædam epidemica lues, generis humani insolescentis verè tonsura, Vesontionem inuaserat, per quam ingens capitum messis in dies decerpebatur. Nihil cura publica, nihil priuata proderant remedia, donec in S. Sudarij asylum & clientelam ciuitas tota confugit: emissio enim publico voto, cessauit quamprimùm funesta illa
pestis,